# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266


**Wiegand, Wilhelm**



**Straßburg, 1879**


1261 - 1264


urn:nbn:de:bsz:31-326693



Visual Library

**543.** *Walther von Girbaden der Schultheiß und die Bürger von Rheinau theilen Meister und Rath der Stadt Straßburg mit, daß sie Eberhard dem Rothen und seinen Genossen für nächsten Dinstag sicheres Geleit bis zur Stadt Rheinau geben. [1261-1263] Rheinau.*

Viris venerabilibus et honestis B[urcardo] Dispensatori magistro civium et consulibus de Argentina Wal[therus] de Girbaden scultetus de Rinowe et universitas civium, quicquid possunt obsequii et honoris. honestati vestre presentibus significamus, quod nos Eberhardo Rufo latori presentium et omnibus complicibus suis, quos proxima tercia feria ad suum negocium accersiri decreverit vel secum duxerit, apud civitatem nostram securum damus ducatum. et in hujus rei testimonium presentem cedulam sibi tradidimus nostri sigilli munimine roboratam. datum apud Rinowe.

*S aus Straßb. St. A.* Verschl. Canzlei-Gew. Corp. K lad. 17 *or. mb. c. sig. pend. laeso. Zur Datirung vergl. nr. 542.*

**544.** Cůno abbas conventusque monasterii Marbacensis onere debitorum oppressi predium suum, quatuor scilicet mansus, in villa et banno Criechesheim prope Tungensheim situm, quod Richardis mulier et ejus filii excoluerunt, vendunt Gotfrido frumentario civi Argentinensi pro centum quinquaginta marcis argenti renunciantes omni juris canonici et civilis auxilio et pro dampnis et expensis emptoris bona sua in diocesi Argentinensi sita nomine pignoris obligantes. Heinricus electus Argentinensis assentit et sigillat. « quod cum monasterium nostrum. » datum et actum anno domini 1264, 2 idus januarii. *1264 Januar 12.*

*B aus Straßb. Bez.-A.* H fasc. 2110 *or. mb. c. sig. pend. delapso.*

**545.** *Jakob von Varsberg gelobt der Stadt Straßburg, die zwischen ihr und Heinrich von Varsberg über dessen Freilassung und den Tod seines in der Gefangenschaft verstorbenen Bruders Walther geschlossene Sühne getreulich zu achten und zu halten. 1264 Januar 20.*

Viris discretis et honestis universis civibus civitatis Argentinensis Jacobus miles de Warnesperch salutem et se ad eorum promptum famulatum. universitati vestre notum facio, quod ego pacem factam inter vos ex una parte et Hanricum de Warnesperc servientem meum latorem presentium scilicet de redemptione sua et de morte Walteri fratris sui, qui in captivitate vestra obiit, ex alia fideliter et integre absque dolo et absque falsitate ratam et stabilem teneo et tenebo et de hoc deinceps adversum vos et vestros nullam pravam vel falsam quæram nec movebo occasionem. sic adjuvet me deus et omnes sancti. istud etiam vobis promitto fide data, tanquam presens coram vobis essem. in hujus rei testimonium presens scriptum sigilli mei munimine roboratur. actum anno domini 1264, in festo beatorum Fabiani et Sebastiani.

*S aus Straßb. St. A.* Verschl. Canzlei-Gew. Corp. K lad. 15 *or. mb. c. sig. pend.*